

abbate ipsius monasterii sponte invitatus, ibi publicas missas agat neque sanctiones indicat, ne famulorum Dei quies vulgari conventu queat nihilominus perturbari. Preterea neque paratus neque hospitia exinde presumat requirere, receptiones vero fidelium, beneficentiam quam iubet apostolus omnibus exhibere iam non modo ibidem gratis fieri denegamus, verum ut fiat exhortamur. Ecclesias sane illorum a rege sibi vel ab aliis viris concessas¹ aut in posterum pro animarum remedio a fidelibus conferendas² seu in predio ipsorum constructas³ cum omnibus ad easdem⁴ pertinentibus precipimus, ut nullus sacerdos nullaque potestas sinistro quolibet ingenio audeat conturbare nec aliquid exinde presumat auferre nec villas abstrahere nec censum minuere, sed liceat servientibus Deo hoc, quod eis erogatum fuerit, cum gratiarum actione pleniter accipere et Dominum benedicere et illi soli deservire. Si quis vero sacerdotum vel publicorum huius seriei decretum audiens contra id in parte vel in toto aliquid agere presumpserit, potestatis honorisque sui dignitate percussus apostolica auctoritate et anathemate perpetuo feriat et cum diabolo et eius atrocissimis pompis atque Iuda traditore domini nostri Iesu Christi eterni incendii supplicio concremandus sit deputatus nec umquam a prefati anathematis nexibus absolutus. At vero qui pro intuitu observator in omnibus extiterit custodiens huius nostri apostolici constituti ad cultum Dei respicientis, benedictionis gratiam a misericordissimo domino Deo nostro consequatur et vite eterne particeps effici mereatur.

Scriptum per manum Georgii scriniarii sancte Romane ecclesie in mense Iulio indictione undecima. Data quarto Idus Iulias per manum Walberti humillimi episcopi sancte Portuensis ecclesie anno pontificatus⁵ domni Iohannis summi pontificis et universalis pape in sacratissima sede beati Petri apostoli sexto, indictione⁶ undecima.

Pariser Nationalbibl. Coll. Baluze 38, f. 247 et 254, s. XVII.

IV.

Hadrian III. bestätigt die Besitzungen des Klosters La Grasse. 885 Jun. Jaffé-Löwenfeld 3402.

Adrianus episcopus servus servorum Dei Sunifredo religioso abbati venerabilis monasterii sanctae et superexaltatae Dei genitricis semperque virginis Mariae et dominae nostrae, siti super fluvium Urbionis in comitatu Carcassense et per te in eodem venerabili monasterio⁷ in perpetuum. Convenit apostolico moderamini, pia religione pollentibus benivola compassione succurrere et poscentium⁸ animis⁹ alacri devotione

1) 'concessus' Hs. 2) 'conferendus' Hs. 3) 'constructus' Hs.
4) 'eandem' Hs. 5) 'anno primo pont.' Hs. 6) 'mens. et indictione' Hs.
7) Wohl so zu ergänzen: 'per te cunctis successoribus tuis, in e. v. m. regulariter promovendis'. 8) 'petentium' 2. 3. 9) 'animi' Hs., fehlt in 2. 3.